



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXIII. In Domin. III. Post Pascha. Tristitia vestra convertetur in gaudium.
Ioann. 16. Arg. Condimentum tribulationis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XXIII.
IN DOMINICA III. POST PASCHA.
Tristitia vestra convertetur in gaudium.

Joan. 16.

ARGUMENTUM.

CONDIMENTVM TRIBVLATIONIS.

I. **A**cri haecenus studio, ac impelis desudatum in eo est a plurimis, ut metallum unum in aliud, stannum in argentum, aes in aurum refingerent. A. Ego, si quid artis in chymicis est, eam hac luce addiscere gestirem, quatenus aquam tristitia, tribulationumque in decoctum voluptatis, ac gaudiorum eliquare possem. Hac enim ars & in se ipsa longè excellentior, & nobis lympham tribulationis, ac miseriarum continuo potantibus multò fructuosior. Verum, quem magistrum hujus gnarum artis nanciscar? quem sequar?

Occurrit zelantissimi Eliae verus, germanusque, quæ virtutum, quæ prodigiorum hæres Elisæus. Hic quum in urbem Jericho deflexisset, eamque per circuitum lustrasset, audit à circum-

stantibus: *Ecce, habitatio hujus civitatis optima est, sicut tu ipse Domine perspicias, sed aquae pessimae sunt.* Si quid vales, ut vales plurimum apud Deum, opitulare, atque hanc amaritudinem in dulcedinem transmuta. Quorum humanitati gratificaturus Vates, salem affert præcepit, eumque in flumen demisit, dicens: *Sanavi aquas has, non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.*

Quòd si per hanc dudum fulminatam Jericho mundum in maligno positum cum aliis SS. Patribus intelligo, & juxta eorundem sensum per aquas tribulationes interpretor, ejusque & statum, & querelas expendo; idem omnino mihi insurrare in audio: Ecce habitatio civitatis hujus mundi optima est, sed aquae tribulationum ejus pessimae. Officiunt, non profunt; amaricant, & exasperant, non temperant sitim; necant, non nutriunt.

nutriunt. *Aqua ejus pessima sunt.* Cui malo medicaturus, nequicquam efficacius invenio, quam ut exemplo Elifæi salem Evangelicum immittam. Cum grano enim salis accipienda, & interpretanda esse dicimus, quæ vel minus salutaria, vel minus sapida occurrunt. Et insulsum est omne, quod non est sale conditum. In eum finem septem grana permodica ex hodierno Evangelio desumam, (toties enim in eo legitur *modicum*), illisque condire, ac temperare aquas vestras ad-

§. I.

Primum granum salis condiendis miseris aptissimum est modicum temporis.

II. **P**rimum Granum salis, quo aquæ tribulationum condiendæ, & amaritudo indulcoranda est, est modicum durationis, seu temporis. Labor enim omnis, & afflictio justorum, quo in hac mortalitate conficiuntur, permodicus est, & prope momentaneus. De eo enim ipse Dominus apud Isaiam ita enuntiat: *Ad punctum in modico dereliquite, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna miseratus sum tui.* Quæso quid minus puncto? aut quid brevius momento? Minimum illud in linea, minimum istud aliis in rebus. Et tamen hoc puncto, ac modico comprehendere voluit Dominus, D. Hieronymo Interprete, tempus omne ab Adam, usque ad Christum, quo Gentilitas à Deo fuit derelicta ac repudiata; quoniam respectu

æternitatis, in qua deinceps Deo conjuncta est, factaque æterna ejus uxor, tempus illud, punctum, ac momentum merito reputatur. S. Ambrosius intelligit tempus persecutionum à tempore Neronis, usque ad tempus Constantini Magni, quod omne appellat Dominus modicum, *quoniam mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesternæ, quæ præterit.* Ad veram æternitatis regulam, & amissim omne illud tempus, vel ab Adam usque ad Christum, vel à Christo usque ad Constantinum modicum erat, momentaneum, punctum. Ergo si illa millia annorum indigitantur puncta, si trecenti hi post Christum natum momentum, quid erunt tribulationes nostræ; quam quidpiam minus puncto, ac momento? Vah & nos puncto uno modico patientiam nostram exerceri, ac periclitari indignabimur? Vah quale aurum sumus, quod in camino tribulationis tam facile evanescit? Vah quam corrupta organa Numinis, quæ modulata, tam flebiles edunt sonos? quam putridæ naves, quæ in aquis minimis subsident? quam exigua in nobis amoris divini flamma, quæ guttis tribulationum modicis omnino extinguitur?

§. II.

Alterum granum Salis, seu modicum respectu poenarum inferni.

III. **E**Xululat hinc quispiam, & ingemiscit. Ita quidem olim Vulpes consolata est Leporé, dum illi pellis detrahe-

Tribulatio levis intuitu poenarum inferni.

traheretur. Frater Lepusculè, patientiam habet, est tantum transitus. At ego acutissime sentio, quam acerba sint adversitatum lymphæ, quantave cum jussulo miseriæ mihi ingerantur. Si delibares & tu hanc aquam, aliter profecto de illa decerneres. Modicum sanè non est, quod premit gravissime. Sit ita. Verumtamen utur Aqua quam potas amara sit, conditi illam sapidius poteris, si alterum granum salis apposueris, id est, offam sulphuris, in olla Erebi succensam, seriâ mente ruminatus fueris. Ohe quam grata, quam accepta, quam sapida foret illico offa tua! Quidquid enim in hac universitate excruciat, utur durum, asperum, atrox, crudele sit, gutta est modica ad inexhaustum illud tormentorum pelagus. Punctura est levissima, in comparatione plagæ illius, nunquam & nunquam sanandæ.

IV. Quum Dominus oraculo suo prædixisset impendentia Jerosolymæ mala, futuris temporibus eventura, subdidit: *Hec omnia initia sunt dolorum.* Sunt primi apices flagellorum, quibus impij exarabuntur, litus placidum ad Oceanum cruciatuum; janua, ad locum perpetuum tormentorum. *Hec sunt initia dolorum.* Quidquid filius perditionis, vel membra ejus tormentorum commenti fuerint, quidquid tyrannis attentare valuerit, vix umbra reputabitur. *Hec omnia initia sunt dolorum.*

V. Inaudita prope crudelitas Antiochi Regis in Judæos exercita, sat graphicè in historia Machabæorum describitur. Effudit ille vim omnem sua

tyrannidis in senes æquè, ac juvenes, in viros, ac scæminas; in templa & altaria. Nihilominus totius tragædiæ epilogum hoc epiphonemate coronat Historicus: *Propter peccata habitantium civitatem modicum Dominus fuerat iratus.* Omi Deus, hoc cene est modicum in sartagine frigare vivos, in craticulis torrere semianimes, pectinibus ferreis excarnificare, decoriare, diffindere, & aliis ejusmodi, imò acerbioribus torquere cruciatibus? Quid dici atrox, aut crudele poterit, si hoc leve, aut modicum judicatur? Et tamen revera modicum fuit; initium dolorum fuit; eadem Antiocho, aliisque impiis impendentium. Hic jam exigite intra vos metipfos, & obvio, planoque syllogismo concludite: Si non possum in præsentia tolerare modicum, quâ ratione perferam pondus suppliciorum? si non queo flagellum sustinere, quo animo gladium excipiam? si nec ad momentum flammam lambentem, quomodo intimè depascentem sufferam?

VI. Hunc in modum suis in doloribus secum ratiocinabatur sapientissimus æquè, ac patientissimus Jobus; vocando in comparationem suas afflictiones cum fulminandorum suppliciis: *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* q. d. Omnia ea quæ patior, videntur mihi stilla intuitu pelagi, omnes plagæ tam leves, ut vix sentiantur, nisi auribus perciperentur. At verò pœnas damnatorum, quis non dico sufferre, sed vel intueri queat. *Cum vix parvam stillam, &c.*

Hoc

Antiochi
crudelitas

2 Mach. 5.

Job. 26.

Hoc grano salis condire solitus cibos, quantumvis insulissimos P. Franciscus Borgia, quondam Dux Gaudia, ac subinde Societatis nostrae Moderator, in tantum, ut quod amariore, eò prope dulciores eidem acciderent. Quod advertens P. Bustamantius socius illius, percontatus est ipsum, quomodo tam insulsa comedere posset. Cui ille: O Pater, si inferni sulphur degustares, nimis dulcia, & opipara tibi hæc ipsa viderentur. Crede mihi, nihil tam acerbum est, quod sulphur inferni non condit; nihil tam durum, quod ignis illius non excoquat; nihil tam nauseabundum, quod sempiternarum memoria poenarum rejiciat. Eodem si nos uteremur, credo miseriarum pulmentum, ut acerbum, aut acidum fuerit, multò minùs insipidum gustui nostro futurum. Absorberetur vis illa omnis amaritudinis nostrae; intuitu, ac præsentia, citra ullam comparationem gravioris calamitatis.

S. III.

*Modicum, seu salis granum ter-
tium, reflexio ad cau-
sam.*

VII. **H**Aud modicum etiam accederet saporis aquis tribulationum, si ad malum culparum nostrarum nos reflecteremus; & hoc veluti condimento tertio temperaremus. Lenitur enim dolor flagelli memoriã culpæ, & tantò quisque ferramentum medici patientius sustinet, quanto

magis putridum esse arbitratur, quod fecat.

Fratribus Josephi Patriarchæ, ut primum obversari animo cœpit malevolentia in ipsum exercita, illicò simulati etiam furti poenam justam, ac æquam habuere, dicentes: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ eius, cum deprecaretur nos, & non audivimus.* Justus est Deus, qui talione æquissimã vincula pro vinculis, latomias pro spelunca, Ægyptum infestum pro aversione, ac odio rependit. Cum enim fratrem nostrum vinculis adstrinxerimus, justum est, ut & nos carastis innodemur. Quum ipsum in fossam putei demerferimus, justum, ut carceribus mancipemur; cum in servitutem Ægyptiacam vendiderimus, meritissimum, ut & nos in mediantinos, ac mancipia tondeamur. *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Ita illi, & quidem sapientissimè ratiocinabantur, levaturi dolorem, ac miseras in caput suum devolutas. Nos pari profectò dilemmate calamitates nostras interciperemus, si delicta pristina vel molli unguiculò refricaremus. *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, in Assertorem, in Deum, ac Dominum nostrum.*

VIII. Minimo etiam veniali peccato expiando, nec ipse per se par est Otus, cum omni tormentorum suorum supellestile; & ego lamentor, si vel febricula tenter, vel stilla adversitatum tingat, vel gutta amaritudinis palatum inficiat, vel dolor unguium illudat? *Supremi*

In Vita.

Tribulatio
levis re-
spectu cul-
pæ.Gen. 42.
v. 21.

premi cœlituum antiftites, & primogeniti ante omnem aliam creaturam spiritus ob unicum superbiz actum, momento temporis exercitum, rudentibus inferni detracti; totus mundus in concupifcentiæ fuæ pœnam cataclyfmô involutus, Bethfamitæ ob curiofum arcæ confpectum morte fubitanæa fublati, alii aliis fuppliciis ob unum flagitium patratum, affecti; nos haud ob unam arrogantiam, lafciviam, curiofitatem, verum multa alia flagitia caftigati virgâ correptionis, in furias, ac furores agemur? Miremur fatius, quod aliis gravioribus cafibus non fimus excepti, aut fame confumpti, aut morte crudelifsimâ fublati. *Merito hæc patimur.* Exofculemur manum Domini in conferendis gratiis munificam, in vindicandis offenfis tam parcam, ac moderatam. Stupeamus perversam noftram voluntatem divinæ in tantum refractariam, quæ nos tanto tempore in mifericordia, & miferationibus fuffinuit, vel tam paternè caftigavit, dicamusque: *Merito hæc patimur, quia peccavimus.* Vel cum regio Vate; *Iustus*

Psal. 118.

us Domine, & rectum iudicium tuum. Agnofco fummam Pater piiffime dignationem tuam, quâ ignem mutas in aquam, ferrum in virgam, æternas pœnas in temporales; Iuftitiæ tribunal in thronum mifericordiæ, quia in tempore corripis, ne in perpetuum fulmines.

Orig. h. 20 in hexam.

Vel cum Origine: *Opto, ut cum in hoc fæculo fum, vifitet Dominus peccata mea; ne in altero audire merear. Fili recorde, quia recepifti bona in vita tua.* Vel cum S. Auguftino: *Domine hic ure, hic feca, modo in æternum parce.*

§. IV.

Quartum Granum Salis, feu Modicum refpectu aliorum miferius viventium.

IX. **J**Am gulta paululum, fic attemperatas aquas tuas, & fi etiamnum delipiant, quartum granum appone, ex miferiis aliorum defumptum. Tu tibi videris derelictus inter alios, & vix mortalium quempiam gravioribus obnoxium calamitatibus. Verum fi accuratiùs expendas, invenies tuas cruculas effe feftucas, aliorum trabes ingentes. Etenim fi te defectus aliquis premit, alii in extremo mendicitatis verno verfantur; fi ægritudine affligeris, alii Herculanis occupantur; fi ipes tua in aliquo elufa, aliorum conatus omnes incallum cecidère. Quid multa? Tu maceraris curis in animo, illi diftorquentur laboribus, ac cruciatibus in corpore; alii cum Lazaro oftiatim ftiptem emendicant, tibi omnia ad votum fuppetunt. Vah & tamen grave tibi eft farcinam tuam portare, & forfitan cum aliorum commutatam cuperes?

Tribulatio noftra levius refpectu aliorum.

X. **C**omminifcuntur Poëtæ mortales expenfis quondam tot, tantifque reftagnantibus undique adverfitatum rivis, concordibus fuffragiis, pro iis avertendis fupplices Jovem adiiffe, enixè que efflagitaffe, quatenus tantis eximerentur calamitatibus. Ille auditâ eorumdem legatione, refpondiffe fertur, rem impoffibilem, & tam fuo honori, quàm commodis ipforum adverfam urgeri. Siquidem cos ipfius virtutis

Fabula de miferiis commutatis.

cutis sit adversitas, quâ illa exacuitur, & citra quam hebetatur, ac rubigine vitiatur quàm maximè. Nec alto unquam inveni navigia, nisi agglomerentur diluvia, nec homines è litore soluturos, nisi tempestatibus provocentur. Cùmque nihilominus instarent, & ut minimùm has tempestates moderaretur, efflagitarent, id ea conditione indultum est, quatenus quisque suam crucem cum altero commutaret. Excipere hanc gratiam pronâ aure, atque animis universi, & die statuta suas in unum cumulum miseras coadunârunt. Hic uxorem tuam, (malam crucem) ille ægumoniâ, tertius defectus alios attulit. Tum factâ optiõne, hic aliam uxorem ducit, ut rebatur meliorem; ille pro chyagra eligit colicam; iste præ asthma dolore dentium, alii alios dolores, languoresque, prout fors ferebat, adoptant. Et ecce, ut primùm domum rediêreprehendunt suas commutationes summè erroneas; & alter quidem pro Hecuba Megæram se possedisse indoluit; alter suum dolorem non æquanimitèr sustinuisse conquestus; tertius suum infortunium in deterius versum ingemuit. Factâ itaque iteratâ conspiratione, Jovem rursum appellat, errorem agnoscunt, irritam reddi permutationem efflagitant, & suas sibi reddi uxores, suas miseras restitui instantissimè urgent.

Quorsum verò ista Poësis? ut vel ex fabulis veritatem agnoscatis, miseras nimirum vestras longè inferiores esse iis, quibus alii obnoxii existunt; & vos latere, ubinam alium vicinum calculus vexet, vel quantum excruciet.

non diu... §. V.
Modicum Tribulationis nostra respectu Sanctorum.

XI. **ET** hæc forsitan solis impiis supplicia irrogantur tuo iudicio, à quibus filii immunes. Age exploremus, & si contrarium deprehenderit, quintum jam granum, seu modicum apponamus. Eheu quàm leve, quàm modicum est omne illud, respectu ipsorum, quod perferimus.

Tribulatio
levis respectu
Martyriorum.

Doctor Gentium delibans eorum itinera, quibus ad Elysiâs sedes eluctati sunt, ait: *Alii autem distenti sunt, non sciientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Notæ, ac perspectæ sunt persecutiones decem, quibus primitiva ecclesia, non tam concussa, quàm nobilitata est. Compertum quibus tormentis sublato Apostoli; quibus lanienis excarnificati Martyres; quibus equuleis probati Confessores. Perspecta etiamnum hæretica crudelitatis theatra, nec quicquam prioribus sæculis hac in re palmam cessura.

Hebr. 11.
v. 37.

Hem & nos citra ullam patientiæ laureolam assidere illis affectabimus? Nonne nos imbelles datura est in ruborem ipsorum purpura? Quot ibi tenellæ Virgines, quæ cùm non haberent, quo ferrum reciperent; invenerunt,

Cc Dd quo

quo ferrum vincerent. Quot ibi nondum idoneæ pœnæ, & jam maturæ triumphis? An non vel in ipso illorum, illarumve comitatu, & gloria gestires, in eodem cum illis cucurrisse stadio? Nonne concupisceres, idem cum illis apprehendisse bravium, eandem meruisse coronam. Reverà si nos, aut alios quosvis nostri similes in ea beatitate aliqua tangere polleret vis doloris; tum ea imprimis, quòd tam frigidè alios æmulati fuerimus, tam parum amore Christi perpeffi fuerimus. Optaremus omnia illa solos pertulisse, quæ universorum humeris, ac pectoribus exantlata intuebimur. Et tamen, prò pudor! si fortè spina occurrat, acturum humeros contrahimus; ad cælum nubilum, frontem caperamus, cum fulminante, fulmina procudimus. Si mica aloës fumenda, pondo sacchari mox est condienda, gutta fellis cado mellis diluenda, punctura aciculæ bysso, ac serico involvenda. Præterit nos credo editum S. Pauli Corinthiis graphicè intumatum: *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Præterit nos, quòd qui *Sanctos Martyres in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire.* Præterit nos non posse gaudere cum Sanctis, nisi tribulationem sustineamus cum ipsis.

2. Cor. 17.

S. Aug. ser.
47. de
Sanctis.

* * *

§. VI.

Granum salis sextum, seu Modicum in collatione Passionis Christi.

XII. **Q**Uòd si tamen nec istud palato vestro satisfacit, addo sextum ex monte Calvariæ effossum. En stat Dominus Jesus manibus simul, ac pedibus perforatis, perinde ac fasciculus myrrhæ, virgæ alligatus. Exhibet is vobis trutinam sacratissimæ crucis suæ, quatenus in ea expendatis, quàm modicum omne illud sit, quod vos amore ipsius toleratis; quàm multum & prope immensum, quod ipse pro vobis sustinuit.

Item vespertu
ca.
licis Christi.

Ite igitur, appendite in lance una flagella vestra, cilicia, festucas quaspian crucis ipsius; & in alia quæ Deus vester pro vobis pertulit. Componite lectos vestros cum lectulo ipsius; famem, sitimve vestram cum siti ipsius; alios dolores sociate doloribus illius; nonne intuitu ipsorum flagella vestra videbuntur vobis blandimenta, vestri defectus commoditates, vestra jejunia gula, vestræ mortificationes delicia?

XIII. Ad trutinam hanc, seu mensuram evocat nos ipse Dominus per Ezechielem Prophetam, dicens: *Fili hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Quippe per templum hoc scitè accipitur hic Corpus Christi, quod ipse Templum, teste

S. Joan-

S. Joanne, indigitavit. Hoc templum nobis proponit seriâ meditatione trutinandum; ut dirutum à Judæis, sepulchrique solo adæquatam; quatenus confundamur ab omnibus iniquitatibus nostris, tantæ ruinæ obstetricibus. Merienda est fabrica & Celsitudo ipsius, perpendenda summa illius Excel-
 lencia, suprema Majestas, Dignitas im-
 mensa, quam ipse tantopere depressit,
 & exinanivit. Mensuranda longitudo
 & latitudo, sublimitas & profundum
 pœnarum ejus, quas sustinuit nobis
 præbendo exemplum: *Christus passus
 est pro nobis, vobis relinquens exemplum,
 ut sequamini vestigia ejus.* Reliquit
 exemplum non deliciarum, sed tribula-
 tionum, contumeliarum, flagellorum,
 dolorum, opprobriorum, spinarum,
 crucis, vulnerum, mortis denique atro-
 cissimæ. Hæc metire, & cum illis tuas
 compone.

1. Petr. 2.

Labbata
rom. 2.
prop. 2. de
Trib.

Ad hanc trutinam suos librare solita dolores piissima Princeps Parmensis, ad quam in gravi dolore positam cum altera Domina accessisset, crucem fe-rens, persuadensque, quatenus leni-mentum quodpiam doloris sui ab eo efflagitaret; respondit: Quomodo à tali Domino in cruce pro me exquisitis suppliciiis affecto, ut à me dolorem mul-tò leviolem auferat, petere præsumam? Vereor ne forte in faciem mihi expro-bret, dicatque: Utique tibi filia mea probè compertum est, quantis ego ex-ercitus fuerim, totâ vitâ meâ, corporis, animique angoribus? Utique liquida tibi flagella, corona, crux mea, vulnera mea, quæ ego amore tui perpeffus sum, & tu amore mei hanc febriculam, hunc

astum, hunc capitis dolorem tolerare detrectabis? Pudeat membrum tam delicatum esse sub spinoso capite. Pudeat te in cruce solatia captare velle, in pharmaco solam quærere voluptatem. Hoc illi erat lenimento, hoc solatio; quidni & nobis si modò eo usi fuerimus.

XIV. Exodi capite decimo quinto proficiscentes filii Israël per desertum, offenderunt aquas amarissimas, cum-que ex via lassifecerent, nec aliam ad bibendum haberent, clamaverunt ad Dominum, qui ostendit eis lignum, quod commisissent in aquam, in dulcedinem versæ sunt. Manifestum est, id lignum ex se tantam virtutem neuti-quam profudisse. Indubium, Domi-num uno etiam verbulo potabilem fa-cere potuisse, voluit tamen mediante ligno hanc præstare gratiam, ad typum salutiferæ crucis exhibendum. Lignum enim crucis, & memoria ipsius est, quæ amaritudines pœnitentiæ, tribulatio-numque nostrarum in dulcedinem ver-tit; siquidem crucem Christi, gravissi-mosque cruciatus considerantes, faci-lè ad ferendas passiones nostras pro Christo inducimur, & confortamur. Effœminatus enim, & ingratus nimum esset, qui cruculam suam non æquo animo ferret, quum Dominum suum
 tantos cruciatus amore sui per-
 pefsum contempla-
 tur.

Exod. 15.

* * *

* *

Cc Dd 2

§. VII.

§. VII.

*Ultimum Granum, seu Modicum
respectu aeternae Retribu-
tionis.*

XIV. **U**ltimum Granum accipio ex
falis fodinis ipsiusmet para-
dyfi. Quid quæso est omne illud quod
patimur collatum ad pondus aeternæ
retributionis? Ea sanè est Beatitudo
cælestis, ut si singulis diebus vitæ no-
stræ millenis gladiis jugulum præben-
dum esset, parum id omne foret, ad reg-
ni illius delicias promerendas. Nam
ut bellè convincit Præsul Africanus:
*Pro aeterna requie aeternus labor subeun-
dus erat. Aeternam felicitatem acceptu-
rus, aeternas passiones sustinere deberes.*
*Nam etsi mille annorum essent, appende
mille annos contra aeternitatem, quid ap-
pendis cum infinito quantumcunque fini-
tum? Decem millia annorum, decies cen-
tena millia, & millia millium, quæ finem
habent, cum aeternitate comparari non
possunt.* Paucorum dierum est vita ho-
minis, etsi dura lætis non miscerentur,
quæ plura certè, & longiora sunt, quàm
quæ molesta; & ideo breviora, & ra-
riora sunt dura, quò durare possimus.
Si ergo per totam vitam suam homo in
laboribus, & ærumnis esset, in dolori-
bus ac tormentis, in carcere & plagis
omnibus diebus vitæ suæ, adusque ex-
tremam senectutem, pauci illi dies re-
putandi essent, quibus evolutis instabat
regnum aeternum, veniet sine fine felici-
tatis, veniet æqualitas Angelorum, ve-
niet hæreditas Christi, veniet coheres

Aug. in
Psal. 36.

Christus, Pro, quàm exiguo labore,
quàm ingentem mercedem referimus?
Veterani homines, qui laborant in mili-
tia, & tot annos inter vulnera versan-
tur, incipiunt mereri à juventute, &
tandem vix senio confecti emancipan-
tur, ut habeant dies paucos quietos,
quando eos jam ipsa ætas incipit grava-
re; nec attendunt ad itinera, frigora,
vulnera, pericula, sed ad paucos illos
dies senii sui, ad quos utrùm perven-
turi sunt, ignorant. Vah, & nobis grave
erit, modico tempore affligi, pro requie
sine fine permanfura?

XVI. Hoc grano temperabat suas
afflictiones Dux populi Israëlitiçi Moy-
ses, de quo oracula sonant, *quòd magis* Heb. 11]
elegerit affligi cum populo Dei, quàm v. 26.
temporalis peccati habere jucunditatem,
maiores divitias aestimans thesauro Æ-
gyptiorum improperium Christi. Cujus
causam illico subdit: *Aspiciebat enim in* Ibid.
remunerationem. Hæc illi amara omnia
condiebat, hæc edocuit postponere re-
gnum terrenum, pedibusque diadema
proculcare regium. *Aspiciebat enim in*
remunerationem. Hæc exilium, hæc pau-
periem, aliasque incommoditates in-
dulcorabat. *Aspiciebat enim in remu-
nerationem.*

Hoc ipso grano Vas Electionis, om-
nes tribulationes, ac pressuras tempe-
rabat, recogitans, quia *Modicum hoc, &* 2. Cor. 4]
leve tribulationis nostræ, aeternum gloria v. 17.
pondus operatur in nobis. Siquidem im-
mensum pondus futuræ gloriæ levem
facit præsentis temporis tribulationem.
Exiguum est, ut breve, quod pati possu-
mus, immensum, quod per hoc præsto-
lamur. *Momentaneum hoc, &c.* Cogitet
ater-

æternum afflicto, & leviter feret momentaneum. Cogitet pondus, id est magnitudinem gloriæ, & perlevis reddetur tribulatio, quam talis comitatur retributio.

Hebr. 12.
v. 2.

Hoc ipso, teste eodem sancto Apostolo, ipsemet Assertor noster calicem amarissimum Passionis suæ quadantenus temperavit, quum *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem*, q. d. Sustinuit crucem, ut mereretur, & consequeretur Humanitas ipsius gaudium, quod Pater æternus ipsi proposuit, tum per se, tum per Angelum, ipsum in agonia constitutum, confortantem. Hic enim non in phantasia, sed exterius voce corporali, proponebat gaudium ex crucis acerbitate eventurum, nimirum resurrectio-

nam, gloriam; salutem hominum, qui tanquam Redemptorem eum agnoscerent, colerent, adorarent, templa erigerent, Sacerdotes initiarent, &c. Ideoque Christus propter hoc gaudium sibi propositum amplexus est ignominiam, ac confusionem.

Luc. 26.
v. 43.
Corn. h. l.

Hac eadem sancta Alchymia alii usi Sancti Dei, quibus lapides torrentis dulces fuere, quibus prunæ ardentes versæ in rosas, & ipsa tormenta in epulas commutata.

Hac eadem utamur & nos, confidamusque, tristitiam nostram si non omnino vertendam in gaudium, minimum hisce gratis salis condiendam, quò minus insulsa nobis accidat. Amen.

